

«INTVS MONACHI, FORIS APOSTOLI»

De Archiabbatia Ottiliensi eiusque historia (59)

4.15.1. De ecclesia abbatiali (2)

Anno 1916^o, medio primo bello munda-
no,¹ deinde altare confectum est, quod
Benedictinae ecclesiae abbatiali est
maximi momenti, nempe altare Sancto
Benedicto fundatori Ordinis dicatum.²
Positum est idem in primā cappellā
orientali lateralis capsi meridionalis.³
Georgius Kölnsperger hōc altare secun-
dum ideas atque consilia Archiabbatis
Norberti⁴ exaravit, qui artifex imagines



*Georgius Kölnsperger
in officina sua imagines
altaris Sancti Benedicti pingens.*

-
- 1 In laterali alā sinistrā conexus temporalis indicatur inscriptione, quae supra imaginem Sanctae Liobae invenitur: «Diro bello mundum per/cutiente/ Dei fretus providentia». Hōc locō praeterea insigne Archiabbatiae monstratur.
 - 2 De altari Sancti Benedicti *cfr* Ann. Ottil. 3, 3.6.1916, pp. 322 sq. (ASO, A.3.4.3); Emmeram FAHRNHOLZ: Der neue Benediktusaltar in St. Ottilien. *In*: Mbl 20, 1915/16, pp. 351 sq.; Heide WEISSHAAR-KIEHM: Inventar (1995-1998), IKap1, pp. 1 sqq. (ASO, A.14.4.1.11); Maria HILDEBRANDT (2008), pp. 224 sqq.; Cyrill SCHÄFER (2005), p. 73; Heide WEISSHAAR-KIEHM: Klosterkirche. *In*: Claudius BALS / Walter SEDLMEIER (edd.) (1994), pp. 44 sqq.; Heide WEISSHAAR-KIEHM (2009), pp. 15 sqq. - Breviter hōc altare commemorat Leander BOPP (1952), p. 40 (ASO, D II).
 - 3 Pecunia pro hōc altari erogata est ab aliquo Directore Lederle. - *Cfr* Ann. Ottil. 3, 3.6.1916, p. 322 (ASO, A.3.4.3); Heide WEISSHAAR-KIEHM: Inventar (1995-1998), IKap1, p. 1 (ASO, A.14.4.1.11).
 - 4 Indicia, quibus participatio Archiabbatis Norberti (in insequentibus altaribus quōque) apparet, praebent Sebastian STAUDHAMER: Künstler und Auftraggeber. *In*: Christliche Kunst 19, 1922/23, p. 168; Heide WEISSHAAR-KIEHM: Inventar (1995-1998), IKap1, p. 1 (ASO, A.14.4.1.11); Heide WEISSHAAR-KIEHM: Klosterkirche. *In*: Claudius BALS / Walter SEDLMEIER (edd.) (1994), p. 44; Heide WEISSHAAR-KIEHM (2009), p. 15; Cyrill SCHÄFER (2005), p. 73.

altaris ipse pinxit.⁵

Exortum est altare scitū vere dignum genere Gotico dispositum, cuius compositione imaginum vita Sancti Benedicti cum votis monasticis coniungitur.



Praedispositio altaris Sancti Benedicti.

Altare Sancti Benedicti.

Retabulo centrali monstratur obitus Sancti Benedicti, qui moriens in circulo monachorum suorum stat et manūs sursum tollit ad preces fundendas.⁶ In recessū huius scaenae conspicitur altare quoddam, supra quod angelus apparet, et muri fenestraeque alicuius oeci chori. Haec imago non est pictura, sed

Norbertum Weber ideas exhibuisse praeterea duabus inscriptionibus manifestatur, quae in ipso altari exhibentur. Prima invenitur in immobili alā dextra supra picturam Sanctae Walburgis: «NACH EINER IDEE DES / H.H. ERZABTES NORBERT / HAT KÖLNSPERGER IN / MÜNCHEN DEN ALTAR GEZEICHNET, DIE BILDER GEMALT: 1916.» Iuxta conspicitur insigne Norberti Weber. Altera inscriptio in interiore parte alae dextrae appositae est: «Norbertus Archiabbas hoc Altare erexit a.d. 1916», etiam hīc cum insigni Archiabbatissae.

- 5 Frumentius RENNER: Herz-Jesu-Kirche (s.a.), p. 51, p. 53 (ASO, A.14.4.1.11) verba satis contemnentia de Georgio Kölnsperger profert, de quo dicit illum artificem ex operibus Ottilianis «extrudisse» Iohannem Miller et ea, quae Georgius Kölnsperger effecerit, esse «inferiora» atque eius operibus «artem spiritaliter angustae mentis pervicisse». - Altaria autem ab Georgio Kölnsperger exarata Frumentius Renner nullo verbo commemorat.
- 6 Cfr GREG. M., Vita Bened., cap. 37. - Ad haec etiam Ann. Ottil. 3, 3.6.1916, p. 322 (ASO, A.3.4.3); Emmeram FAHRNHOLZ: Benediktusaltar. In: Mbl 20, 1915/16, p. 351; Heide WEISSHAAR-KIEHM: Inventar (1995-1998), IKap1, p. 2 (ASO, A.14.4.1.11).

imago relevata ex ligno exsculpta, cuius figurae principales sunt inauratae.⁷ Hanc vero scaenam secundum naturam exhibere videtur tamen non ita facile fuisse. Artifex enim primo ab monachis exemplum vivum fingendum curaverat, quod deinde fonte usus est.



Photographēma exempli vivi.



Imago relevata altaris.

Imago autem centralis duabus alis mobilibus circúmdata est, in quibus binae scaenae ex vitā Sancti Benedicti depromptae ostenduntur, quae singulae votum quoddam monasticum repraesentant. Inferior pictura alae sinistrae monstrat Benedicti pugna cum temptatione.⁸ Haec scaena est symbolum, quo votum castitatis significatur. - Superiore picturā alae sinistrae illustratur eventus, quo Sanctus Benedictus lagunculam olei per fenestram proicit, quam cellerarius monasterii contra ipsius mandatum alicui subdiaconi roganti non

7 Cfr Ann. Ottil. 3, 3.6.1916, p. 322 (ASO, A.3.4.3); Emmeram FAHRNHOLZ: Benediktusaltar. In: Mbl 20, 1915/16, p. 351; Heide WEISSHAAR-KIEHM: Inventar (1995-1998), IKap1, p. 1 (ASO, A.14.4.1.11).

8 Cfr GREG. M., Vita Bened., cap. 2. - Cfr etiam Ann. Ottil. 3, 3.6.1916, p. 322 (ASO, A.3.4.3); Emmeram FAHRNHOLZ: Benediktusaltar. In: Mbl 20, 1915/16, p. 351; Heide WEISSHAAR-KIEHM: Inventar (1995-1998), IKap1, p. 2 (ASO, A.14.4.1.11); Heide WEISSHAAR-KIEHM: Klosterkirche. In: Claudius BALS / Walter SEDLMEIER (edd.) (1994), p. 44.



Pugna cum temptatione (castitas).

Laguncula proicitur (oboedientia).

dederat.⁹ Hac scaenā votum oboedientiae significatur.

Superiore imagine alae dexteræ agitur de monacho iuvenili, qui Sancto Benedicto in legendo lumen teneat et qui in cogitationes superbas incidit.¹⁰ Cum Sanctus Benedictus has cogitationes perspectas habeat atque monachum reprehendat, haec scaena votum conversionis morum repraesentat. - Inferiore picturā alae dexteræ repraesentatur votum stabilitatis. Hic conspicitur, quomodo monachus quidam Sancto Benedicto aedificandi descriptionem monasterii atque murorum clausurae monstret, quia secundum Regulam Benedicti omnia necessaria intra aream monastrii sint oportet.¹¹ In recessū

9 *Cfr* GREG. M., Vita Bened., cap. 28. - Sic etiam Emmeram FAHRNHOLZ: Benediktusaltar. In: Mbl 20, 1915/16, p. 351.

Illius temporis annalista (Ann. Ottil. 3, 3.6.1916, p. 322 (ASO, A.3.4.3)) hanc scaenam putat eam esse, quā Maurus ad Placidum servandum mittitur (*cfr* GREG. M., Vita Bened., cap. 7). Heide WEISSHAAR-KIEHM: Inventar (1995-1998), IKap1, p. 2 (ASO, A.14.4.1.11); Heide WEISSHAAR-KIEHM: Klosterkirche. In: Claudius BALS / Walter SEDLMEIER (edd.) (1994), p. 44 utroque loco scribit hīc agi de eventū, quo habitus monachalis Benedicto ab Romano monacho traditur (vgl. GREG. M., Vita Bened., cap. 1). Utraque interpretatio est mira, cum in imagine alae altaris clare conspiciatur lagunculam olei per fenestram proici.

10 *Cfr* GREG. M., Vita Bened., cap. 20. - *Cfr* etiam Ann. Ottil. 3, 3.6.1916, p. 322 (ASO, A.3.4.3); Emmeram FAHRNHOLZ: Benediktusaltar. In: Mbl 20, 1915/16, p. 352; Heide WEISSHAAR-KIEHM: Inventar (1995-1998), IKap1, p. 2 (ASO, A.14.4.1.11); Heide WEISSHAAR-KIEHM: Klosterkirche. In: Claudius BALS / Walter SEDLMEIER (edd.) (1994), p. 44.

11 *Cfr* Reg. Ben., cap. 66: «Monasterium autem, si possit fieri, ita debet constitui ut omnia necessaria, id est aqua, molendinum, hortum vel artes diversae intra monasterium exerceantur, ut non sit necessitas monachis vagandi foris, quia omnino non expedit animabus eorum.» - *Cfr* etiam Ann. Ottil. 3, 3.6.1916, p. 322 (ASO, A.3.4.3); Emmeram

iam nonnulli monachi in muro clausurae erigendo occupati sunt, quo molina circumcluditur. Monachus autem, qui aedificandi descriptionem tenet, magnam similitudinem Archiabbe Norberti praebet.



*Monachus iuvenilis
cogitationes superbas habens
(conversio).*



*Sancto Benedicto aedificandi
descriptio traditur (stabilitas).*

Praesertim observanda est pictura predellae, quā votum paupertatis illustratur. In centro conspiciuntur duo monachi, qui ex laboribus agrestibus



Monachi ex agris revertentes (paupertas).

FAHRNHOLZ: Benediktusaltar. In: Mbl 20, 1915/16, p. 352; Heide WEISSHAAR-KIEHM: Inventar (1995-1998), IKap1, p. 2 (ASO, A.14.4.1.11); Heide WEISSHAAR-KIEHM: Klosterkirche. In: Claudius BALS / Walter SEDLMEIER (edd.) (1994), p. 44.

revertuntur et quibus Sanctus Benedictus in medio ambulans illum locum regulae explicat, qui est fundamentum huius scaenae, nempe veros monachos laboribus manuum suarum vivere, ad quos etiam labor agrestis pertinet.¹² Figura Sancti Benedicti anthropographium P. ris Andreae Amrhein esse dicitur.¹³ In recessū extenduntur agri prataque Ottiliensia (ubi etiam plures monachi laborantes videntur) et in sinistrā parte posteriore¹⁴ aedificia Archi-abbatiae cum ecclesiae turri peculiari conspiciuntur. Hunc in modum relatio directa inter monasterium Ottiliense atque votum paupertatis exhibetur et imprimis initiales anni difficillimi foundationis sic indicantur.¹⁵

Cum alae laterales clauduntur, in earum posteriore parte plures imagines aspici possunt. Ibīdem enim a sinistris invenītur pictura Sancti Bonifatii, a



Praedispositio posterioris partis retabuli altaris Sancti Benedicti.



Posterior pars retabuli altaris Sancti Benedicti.

-
- 12 Reg. Bened., cap. 48: «Si autem necessitas loci aut paupertas exegerit, ut ad fruges recollegendas per se occupentur, non contristentur. Quia tunc vere monachi sunt, si labore manuum suarum vivunt, sicut et Patres nostri et Apostoli.»
- 13 Cfr Heide WEISSHAAR-KIEHM: Inventar (1995-1998), IKap1, p. 3 (ASO, A.14.4.1.11). - Monachus iunior in sinistrā parte depictus P. Bartholomaeus Köppl (1881-1969) esse dicitur, dexter maior natū Fr. Georgius Effner (1866-1942).
- 14 Emmeram FAHRNHOLZ: Benediktusaltar. In: Mbl 20, 1915/16, p. 351 per errorem indicat aedificia abbatia in dexterā parte imaginis conspici.
- 15 Hunc aspectum interpretationis imprimis Cyrill SCHÄFER (2005), p. 73 exhibet, qui iure meritoque scribit consociationem ad multa condonanda multaue praestanda paratam fuisse.

dextris pictura Sancti Villibaldi, uterque missionarius Benedictinus.¹⁶ Sanctus Bonifatius paccatrīci flenti benedictionem absolutionis largitur, Sanctus Villibaldus paganum baptizat. Scitū dignum etiam hōc locō iterum est illos duos Sanctos anthropographia esse, cum enim Sanctus Bonifatius vultum Abbatis Ildefonsi Schober habeat, qui spatio suo muneris Superioris generalis Ottiliensis ad tempus delati Congregationem fundamentaliter stabiliendam effecit,¹⁷ Sancto Villibaldo vultus Archiabbe Norberti sit.¹⁸ Supra illas duas figuras in taenia leguntur inscriptiones hae: «Parate St. Bonifati /messem» et «Favete St. Willibaldi operariis». Altari clauso praeterea conspiciuntur duae altaris alae immobiles, in quibus in sinistrā Sancta Lioba, in dextrā Sancta Walburgis monstratur. - In fabrilī opere pampiniformi supra retabula appposito tamquam hēmitomi inveniuntur parvae imagines relevatae Sancti Mauri, Sancti Placidi, Sanctae Scholasticae, Sanctae Gertrudis et Gregorii Magni.¹⁹ Totum autem altare compositionem in se consistentem atque faciatam praebet, quae a contemporaneis quōque talem esse aestimabatur.²⁰ - Hōc altare die 5^o m. Iun. a. 1916^o ab Archiabbe Norberto benedictum est.²¹

Ipsam cappellam Sancti Benedicti iam satis mature praecogitatam fuisse atque locus quōque, ubi instrueretur, praedispositam fuisse inde apparet, quod iam anno 1909^o Sancti Benedicti fenestra ad cappellam pertinens inser-

16 Cfr Ann. Ottil. 3, 3.6.1916, p. 322 (ASO, A.3.4.3); Emmeram FAHRNHOLZ: Benediktusaltar. In: Mbl 20, 1915/16, p. 351; Heide WEISSHAAR-KIEHM: Inventar (1995-1998), IKap1, p. 2 (ASO, A.14.4.1.11); Heide WEISSHAAR-KIEHM: Klosterkirche. In: Claudius BALS / Walter SEDLMEIER (edd.) (1994), p. 44; Heide WEISSHAAR-KIEHM (2009), p. 15.

17 Cfr Vol. 1, capp. 2.3., 2.4., 2.5.

18 Haec esse anthropographia indicant Heide WEISSHAAR-KIEHM: Inventar (1995-1998), IKap1, p. 2 (ASO, A.14.4.1.11) et Ann. Ottil. 3, 3.6.1916, p. 322 (ASO, A.3.4.3). Tamen in Annalibus nomina Sanctorum non commemorantur, sed solum nomina Ildefonsi Schober atque Norberti Weber.

19 Cfr Emmeram FAHRNHOLZ: Benediktusaltar. In: Mbl 20, 1915/16, p. 351; Heide WEISSHAAR-KIEHM: Inventar (1995-1998), IKap1, p. 2 (ASO, A.14.4.1.11); Maria HILDEBRANDT (2008), p. 227; Heide WEISSHAAR-KIEHM: Klosterkirche. In: Claudius BALS / Walter SEDLMEIER (edd.) (1994), p. 46; Heide WEISSHAAR-KIEHM (2009), p. 15; Ann. Ottil. 3, 3.6.1916, p. 322 (ASO, A.3.4.3) loco Sanctae Gertrudis per errorem Sancta Mathilda nominatur.

20 Illius temporis annalista hōc altare «*animum maxime commovendum ecclesiae*» appellat. Tamen adnotationem criticam exhibet scribens: «*vehemens splendor aureus imaginis principalis paulum dolet*» (Ann. Ottil. 3, 3.6.1916, p. 323 (ASO, A.3.4.3)).

21 Cfr Ann. Ottil. 3, 5.6.1916, p. 323 (ASO, A.3.4.3); «Aus der Klosterwelt». In: Mbl 20, 1915/16, p. 352.



Fenestra Sancti Benedicti.

symbola in lacunari lateralis capsi meridionalis inveniuntur. Ibīdem tria vota monastica exhibentur, nempe oboedientia ante locum hodiernarum scalarum ad podium organi maioris ducentium, paupertas ante cappellam Sanctae Ottiliae et castitas ante ostium hodierni ambulacri stationis.

tam est.²² Etiam hanc fenestram iam Georgius Kölnsperger adumbraverat atque exaraverat.²³ Duabus lineis sex scaenae ex vitā Sancti Benedicti depromptae monstrantur. Sinistrā in parte ex imo sursum primo conversio Benedicti,²⁴ deinde scaena, quā Benedictus speciem ignis fugat, quae idolo putato effecta erat,²⁵ denique emissio fratrum;²⁶ dexterā in parte iterum ab imo sursum primo impetus veneno in Benedictum factus,²⁷ in medio scaena, qua monachus muro interfec-tus a Benedicto resuscitatur,²⁸ denique Benedictus cum sorore suā Scholasticā, quae annum visitationem facit.²⁹

Imaginibus autem in alis atque in predella altaris Sancti Benedictis depictis thema voto-rum monasticorum susceptum est, quae ut

22 De Sancti Benedicti fenestrā *cfr* Heide WEISSHAAR-KIEHM: Inventar (1995-1998), IKap1, p. 3 (ASO, A.14.4.1.11); Heide WEISSHAAR-KIEHM: Klosterkirche. In: Claudius BALS / Walter SEDLMEIER (edd.) (1994), p. 46; Heide WEISSHAAR-KIEHM (2009), p. 16. Ann. Ottil. 3, 26.8.1909, p. 87 (ASO, A.3.4.3) haec fenestra commemoratur, sed eius nomen non indicatur.

23 Sumptūs huius fenestrae sacerdotes in anniversarium vicesimum quintum erogaverant, qui anno 1884 sacerdotio aucti erant. Hōc apparet ex inscriptione in superiore parte fenestrae inveniendā. - *Cfr* etiam Ann. Ottil. 3, 26.8.1909, p. 87 (ASO, A.3.4.3); Heide WEISSHAAR-KIEHM: Inventar (1995-1998), IKap1, p. 3 (ASO, A.14.4.1.11).

24 *Cfr* GREG. M., Vita Bened., cap. 1.

25 *Cfr* GREG. M., Vita Bened., cap. 10.

26 *Cfr* GREG. M., Vita Bened., cap. 22.

27 *Cfr* GREG. M., Vita Bened., cap. 8.

28 *Cfr* GREG. M., Vita Bened., cap. 11.

29 *Cfr* GREG. M., Vita Bened., cap. 33.



Oboedientia.



Paupertas.



Castitas.

Compleatur vero symbolismus imaginibus symbolicis virtutum divinarum, quae sunt fides, caritas, spes in lacunari lateralis capsi septentrionalis inveniendae et symbolis virtutum cardinalium, quae sunt prudentia, iustitia, fortitudo, temperantia, quae in lacunari arearum lateralium chori conspiciuntur.



Temperantia.



Iustitia.



Prudentia.

Quod attinet ad Benedictinam ecclesiam abbatialem, cogitatio, quā altare Sanctae Scholasticae, sorori fundatoris Ordinis, dicatum exstrueretur, erat haud absona. Illud altare anno 1917^o exaratum atque in ei destinatā cappellā secundā orientali lateralis capsi septentrionalis constitutum est.³⁰ Etiam hoc altare praedisposuit Georgius Kölnsperger et eius imagines pinxit.³¹ Sicut iam

30 De altari Sanctae Scholasticae *cfr* Chron. Ottil., m. Oct. a. 1917; Heide WEISSHAAR-KIEHM: Inventar (1995-1998), IKap7, pp. 1 sqq. (ASO, A.14.4.1.11); Maria HILDEBRANDT (2008), p. 227; Heide WEISSHAAR-KIEHM: Klosterkirche. In: Claudius BALS / Walter SEDLMEIER (edd.) (1994), pp. 51 sq.; Heide WEISSHAAR-KIEHM (2009), p. 20. - Breviter idem commemorant Leander BOPP (1952), p. 40 (ASO, D II); Sebastian STAUDHAMER: Künstler und Auftraggeber. In: Christliche Kunst 19, 1922/23, p. 168.

31 Pecuniam ad altare Sanctae Scholasticae faciendum erogavit principissa Eugenia [*Eugenie*] von der Leyen (1867-1919). - *Cfr* Chron. Ottil., m. Oct. a. 1917; Heide WEISSHAAR-KIEHM: Inventar (1995-1998), IKap7, p. 2 (ASO, A.14.4.1.11); Frumentius RENNERT: Herz-Jesu-Kirche (s.a.), p. 53 (ASO, A.14.4.1.11); Maria HILDEBRANDT (2008), p. 227.



Praedispositio et ipsum altare Sanctae Scholasticae.

ad altare Sancti Benedicti etiam ad altare Sanctae Scholasticae Archiabbas Norbertus cogitationes attulit, quomodo conformaretur.



*Retabulum altaris
Sanctae Scholasticae.*

Centrali retabulo monstratur ultimus occurus Sanctae Scholasticae atque Sancti Benedicti, cum eadem precibus suis tempestatem in tonitrua inundationemque mutans fratrem coegit, ut apud ipsam maneret.³² Infra retabulum legitur: «*Egredere modo, frater, egredere si potes, et me dimissa ad monasterium recede.*»³³ In imaginibus alarum lateralium conspiciuntur quattuor Sanctae Benedictinae actiones suas speciales gerentes: in superiore alā sinistrā monstratur Sancta Erentrudis institutiones exhibens, infra Sancta Cunigundis vestes sacras acū pingens,³⁴ in superiore alā dexterā ostenditur Sancta Hildegardis ab angelo comitata componens scripta sua, infra Sancta Thecla unā cum duabus aliis sanctimonialibus in

32 Cfr GREG. M., Vita Bened., cap. 33.

33 Haec sententia est allata ex Gregorii vitā Sancti Benedicti (cap. 33), quae hōc locō paulo mutata est. Originaliter legitur: «*Modo ergo, si potes, egredere, et me dimissa ad monasterium recede.*»

34 Haec est explicatio Chron. Ottil., m. Oct. a. 1917. - Heide WEISSHAAR-KIEHM: Inventar (1995-1998), IKap7, p. 2 (ASO, A.14.4.1.11) explicat Cunigundem hac in scaenā vestimenta sua imperialia dono dare. Tamen explicatio, quae spectat ad paramenta verisimilior esse videtur, cum omnes mulieres monstrantur actiones iteratas exhibentes.



Sancta Erentrudis.



Sancta Hildegardis.

ecclesiā cantans.

Duae autem picturae predellae monstrant in dexterā parte Sanctam Gertrudem, cui Sacratissimum Cor Iesu apparet, cum angelo, in cuius taenia legitur «ora», et in sinistrā parte Sanctam Adelaidem, quae fusum adhibens operatur et cui angelus adiunctus est, in cuius taenia legitur «labora».³⁵




Sancta Gertrudis.



Sancta Adelaidis.

Altare Sanctae Scholasticae etiam inter primum bellum mundanum exortum esse in eodem eo magis manifestum est quam in altari Sancti Benedicti. Nam cum alae mobiles sunt clausae, a dextris conspicitur Sancta Scholastica coronā radiorum circumdata atque supra nubem stans, quae adstat Benedicti-

³⁵ In latere altaris, ante quod Sancta Gertrudis orat, conspiciuntur signum nominis atque insigne pictoris Georgii Kölnsperger. - Heide WEISSHAAR-KIEHM: Inventar (1995-1998), IKap7, p. 2 (ASO, A.14.4.1.11) per errorem indicat mulierem orantem esse Sanctam Scholasticam.



*Praedispositio exterioris partis
altaris Sanctae Scholasticae.*



*Picturae exteriores ipsius altaris
Sanctae Scholasticae.*

nae cuidam, quae militi vulnerato auxilium fert (a sinistris). Picturā autem immobilis alae sinistrae monstratur regio cum parietinis monasterii in recessū, in dexterā alā immobili duo angeli parvi floribus sepulcrum alicuius militis ornant. - Constructio retabulo superposita aspectum vere levem tenuemque praebet. Haec superstructio magnā ex parte ex orichalco constat, quod in pampinos florum foliorumque formatum est. Figuras vero, quae insertae sunt, Monacensis artifex Aloisius [Alois] Sigg ex ligno sculpsit: supra conspicitur Beata Maria Virgo cum Iesu infante, infra ipsam columba Spiritūs Sancti, in centro stans Sancta Scholastica habitū orantis, id est brachiis sublatis extensisque. Iuxta ipsam inveniuntur duae Benedictinae orantes.³⁶ - Archiabbas Norbertus hōc altare die



Sepulcrum militis.

36 Heide WEISSHAAR-KIEHM: Inventar (1995-1998), IKap7, p. 2 (ASO, A.14.4.1.11) illas figuras appellat «*sanctimoniales adorantes*». Hic terminus tamen non satis correctus esse videtur, cum Sancti Sanctaeque adorationem non accipiant, sed preces ipsis fundantur ad auxilium ferendum.

19^o m. Nov. a. 1917^o benedixit.³⁷

Fenestra autem ad hanc cappellam pertinens, quam etiam Georgius Kölnsperger confecit, iam mense Iulio a. 1911^l muro inserta est.³⁸ Exhibentur in duabus seriebus sex Sanctae Christianae vestimentis nigris indutae, quae una supra alteram appositae sunt.³⁹ In qualitate autem artificiosā huius fenestrae aestimandā monachi aliquatenus dissensisse videntur.⁴⁰

Tertium altare, quod Georgius Kölnsperger pro ecclesiā abbatali finxit, apostolo Paulo dicatum est.⁴¹ Idem in secunda cappella occidentali lateralis cappellae meridionalis constitutum est. Cum hōc altare annis 1917/18^{is} praedispositum atque confectum esset, itaque etiam tempore primi belli mundani exortum est. Tamen in ipso nullae relationes ad hōc bellum spectantes inveniuntur.

Mensa altaris unā cum altari Sanctae Scholasticae die 19^o m. Nov. a. 1917^o



*Fenestra cappellae
Sanctae Scholasticae.*

37 Cfr Ann. Ottil. 3, 19.11.1917, p. 370 (ASO, A.3.4.3); «Aus der Klosterwelt.» In: Mbl 22, 1917/18, p. 87.

38 De fenestra Sanctae Scholasticae cfr Ann. Ottil. 3, 30.7.1911, p. 113 (ASO, A.3.4.3); Heide WEISSHAAR-KIEHM: Inventar (1995-1998), IKap7, p. 3 (ASO, A.14.4.1.11); Maria HILDEBRANDT (2008), p. 218; Heide WEISSHAAR-KIEHM: Klosterkirche. In: Claudius BALS / Walter SEDLMEIER (edd.) (1994), p. 52; Heide WEISSHAAR-KIEHM (2009), p. 20.

39 Agitur de Falvia Domitilla, Valburgi, Mechthildi, Lioba, Hildegardi Gertrudique, quae partim erant Benedictinae, nonnullae ex eis Abbatissae. Praeter Flaviam Domitillam reliquae mulieres habitū monastico vestitae sunt.

40 Praeter colorum usum paululum monotonum, quo figurae exaratae sunt, quem chronista «*fidei historicae*» imaginis adscribit, idem totam compositionem critice aspicit. Nam ironiā quādam scribit haec: «*Quod figurae semper pedibus supra caput alterius stant, totum conspectum quidem discerpit, videtur tamen dependere de relationibus arearum.*» (Chron. Ottil., m. Iul. a. 1911). - Revera etiam nimbi singularum figurarum non plene exarati sunt.

41 De altari apostoli Pauli cfr Ann. Ottil. 3, 23.9.1918, p. 422 (ASO, A.3.4.3); Chron. Ottil., m. Oct. a. 1918; «Aus der Klosterwelt.» In: Mbl 23, 1918/19, p. 29; Heide WEISSHAAR-KIEHM: Inventar (1995-1998), IKap3, pp. 1 sqq. (ASO, A.14.4.1.11); Maria HILDEBRANDT (2008), pp. 227 sq.; Heide WEISSHAAR-KIEHM: Klosterkirche. In: Claudius BALS / Walter SEDLMEIER (edd.) (1994), p. 48; Heide WEISSHAAR-KIEHM (2009), p. 17. - Breviter idem commemorant Sebastian STAUDHAMER: Künstler und Auftraggeber. In: Christliche Kunst 19, 1922/23, p. 168; Leander BOPP (1952), p. 40 (ASO, D II).

benedicta est, quamquam retabulum nondum erat confectum. Retabulum deinde die 23^o m. Sept. a. 1918^o appositum est et cappella pluribus imagi-



Apostolus Paulus in Aereopago praedicans.



Artificium supra retabulum altaris Sancti Pauli.

nibus, confessionali atque reliquis ornamentis perfecta est.⁴²

Retabulo autem monstratur apostolus Paulus, qui Athenis in Areopago contionatur. Magnus numerus auscultatorum in areā ante ipsum sitā stat, ad eius pedes iuxta podium sedet scriba, qui adnotationes facit. Circumdatus est imago sculptā margine ligneā, in quā circiter in altitudine apostoli duo angeli cum attributis Sancti Pauli conspiciuntur. In inferiore parte marginis invenitur inscriptio, quā leguntur haec: «*Si linguis hominum loquar et angelorum, caritatem autem non habeam, factus sum velut aes sonans*

42 Cfr Ann. Ottl. 3, 23.9.1918, p. 428 (ASO, A.3.4.3); «Aus der Klosterwelt.» In: Mbl 23, 1918/19, p. 29. - Annus 1917^{us}, quem Heide WEISSHAAR-KIEHM: Klosterkirche. In: Claudius BALS / Walter SEDLMEIER (edd.) (1994), p. 48; Heide WEISSHAAR-KIEHM (2009), p. 17 indicat, refertur ad benedictionem mensae altaris.

aut cymbalum tinniens.»⁴³ Supra retabulum appositum est artificium ex ligno sculptum, quod - sicuti etiam marginem - sculptor Aloisius Sigg confecerat. Conspicitur ibidem Christus, qui semicirculo circumdatus est hēmitomis decem apostolorum. In ipsa margine ostenditur a sinistris Sanctus Thomas, a dextris apostolus Paulus.

Scitū digna praeterea est pictura, quae originaliter parieti cappellae affixa erat.⁴⁴ Constat autem ex tribus partibus, cuius mediā apostoli Petrus et Paulus



*Sanctus Petrus (a sinistris) et Sanctus Paulus (a dextris)
in priore imagine prietali cappellae apostoli Pauli.*

monstrantur, qui tamquam columnae ipsius ecclesiae Romanam ecclesiam cathedralem Sancto Petro dicatam portant. In picturā immobilis alae dexteræ naufragium apostoli Pauli conspicitur, quod in aliquo itinere missionario perpressus est, argumentum picturae sinistrae est decapitatio apostoli. Infra imaginem centralem tabula apposita est, in quā duo infantes Africani vesti-

43 VVLG. 1 Cor. 13,1. - Textus in margine imaginis est Theodiscus: «*Könnt ich alle Sprachen der Menschen und Engel reden, hätte aber die Liebe nicht, wäre ich gleich einem tönenden Erz oder einer klingenden Schelle.*»

44 Cfr Chron. Ottil., Okt. 1918; «Aus der Klosterwelt.» In: Mbl 23, 1918/19, p. 29; Maria HILDEBRANDT (2008), p. 228 (verba ex chronicis allata), quibus locis brevissima descriptio imaginis legitur. Heide WEISSHAAR-KIEHM in nullo textuum suorum hanc picturam commemorat, verisimiliter quia imago illo tempore non iam in ipsā cappellā erat. Imago hodiernis temporibus intra clausuram in pariete laterali illius oeci suspensa est, qui intratur, cum aliquis oecum chori in eius latere meridionali relinquit.



Pictura infra imaginem centralem.



Nomen aerificis et annus.

mentis camillorum Christianorum induti insigne abbatiale Norberti Weber et insigne Congregationis tenent. Iidem circumdati sunt taeniā, in quā leguntur haec: «*firmiter / aedificata / domus domini / haec est / et fundata / est supra / firmam terram*». ⁴⁵ In fine dextero huius taeniae invenitur nomen artificis, quo textū apparet Archiabbatem Norbertum etiam in altari apostoli Pauli conficiendo ideis suis participavisse. ⁴⁶



Fenestra cappellae Sancti Pauli.


Eodem tempore, quo retabulum atque reliqua instructio adiungebantur, etiam fenestra ad hanc cappellam pertinens parieti inserta est. Haec quōque fenestra a Georgio Kölnsperger confecta est. Sex imaginibus tres scaenae monstrantur. Duabus imaginibus superioribus Christus crucem suam portat in viā ad Hierosolimam caelestem ducen- te. Duae imagines in medio navem ostendunt ut symbolum itinerum missionariorum apostoli at- que Paulum ipsum praedicantem. Inferiores duae imagines directe referunt ad missionem Benedictinorum, a sinistris in Asiā, a dextris in Africā. Coniunguntur omnes tres gradūs senten- tiā, quae in superiore parte sinistrā fenestrae legi- tur et quae est haec: «*Imitatores mei estote, sicut et ego Christi*». ⁴⁷ Christum

⁴⁵ Cfr Antiphonale monasticum: «*Haec est domus domini firmiter aedificata, bene fundata est supra firmam petram*» (secundum Mt 7,24).

⁴⁶ «Kapellenentwurf, Malerei u. Fenster n.d. Idee v. Erzabt Weber ausgeführt v. G. Kölnsperger, 1918».

⁴⁷ VVLG. 1 Cor. 11,1.

secutus imitatusque apostolus euangelium pervulgat,⁴⁸ cuius exemplum Benedictini missionarii in terris extraneis alienisque sequuntur.



Altare Crucis.

Maiore autem distantia temporali a cappellis capso- rum lateralium modo descriptis anno 1928^o in cappellā post altare Beatae Mariae Virginis⁴⁹ altare Crucis sic dictum institutum est.⁵⁰ Supra mensam simplicem retabulum appositum erat, quo Christus crucifixus exponitur. Circumdatus erat imago Gothicā margine sculptā. Ipsam imaginem artifex Monacensis Hermannus [*Hermann*] Lang pinxerat, quam eius vidua post mortem mariti Archiabbatiae donavit. Iuxta imaginem duae sculpturae lignae constitutae erant, quarum sinistra Sanctam Gertrudem, dextera Sanctum Bernhardum monstravit.⁵¹

De ultimā vero cappellā laterali in capso ecclesiae sermo faciendus est, nempe de cappella Sancti Bonifatii. Quamquam altare Sancto Bonifatio dicatum demum mense Decembri anni 1931ⁱ constitutum erat, historia altaris concipiendi usque in tempus Archiabbatis Norberti pertinebat.

Fenestra Sancti Bonifatii, quam iterum Georgius Kölnsperger excogitaverat atque confecerat, anno 1920^o in cappellam ei destinatam inserta est, nempe in primam cappellam occidentalem lateralis capsi meridionalis.⁵² Monstrantur autem duabus in seriebus in summā sex scaenae e vitā Sancti Bonifatii de-

48 Notatu dignum etiam est imitationem Christi ab apostolo efficiendam eodem colore vestimentorum adhibito illustrari.

49 Cappella Crucis est quasi transitus e laterali capso septentrionali ecclesiae ad aream septentrionalem oeci chori.

50 De alataris Crucis *cfr* Chron. Ottil., m. Ian.-Apr. a. 1928. - Breviter instructionem primam commemorant Leander BOPP (1952), p. 40 (ASO, D II); Heide WEISSHAAR-KIEHM: Inventar (1995-1998), IALTKR, p. 1 (ASO, A.14.4.11.1).

51 Et margo et figurae erant opera Monacensis opificinae artificiorum Iosephi [*Josef*] Erlacher.

52 Breviter de fenestra Sancti Bonifatii *cfr* Heide WEISSHAAR-KIEHM: Inventar (1995-1998), IKap4, p. 1 (ASO, A.14.4.11.1); Heide WEISSHAAR-KIEHM: Klosterkirche. In: Claudius BALS / Walter SEDLMEIER (edd.) (1994), p. 48; Heide WEISSHAAR-KIEHM (2009), p. 17.

promptae, qui «apostolus Germanorum» appellatur. In sinistrā serie ostenditur ab imā parte sursum valedictio parentum, antequam Bonifatius ut puer oblatus in Benedictinis monasteriis Anglo-Saxonicis educatur; profectio ad opus missionarium; emissio ad populos Germaniae a papa Gregorio II praebita, quae mense Maio a. 719ⁱ facta est. In serie dexterā conspicitur ab imo sursum disputatio Bonifatii, postquam quercum Donario dicatam cecidit;⁵³ in scaenā mediā agitur de unctione regali Pippini II, quam Bonifatius dicitur suscepisse;⁵⁴ imagine ultimā monstratur interfectio Sancti Bonifatii.



Fenestra Sancti Bonifatii.

Quoddam altare Sancti Bonifatii futurum esse - ut apparet - si tardissime inde a fine anni 1927ⁱ praecogitatum est. Artifex Dresdensis Fridericus [*Fritz*] Sauerstein⁵⁵ ex animo grato, quia in Archiabbatiā Ottiliensi tam benigne receptus erat, ecclesiae abbatiali altare donare voluit. Archiabbate Norberto suadente argumentum retabuli praedispositum erat Sanctus Bonifatius. Fridericus Sauerstein paratus erat, ut praeter alia praedispositiones mensae altaris atque retabuli exararet et etiam ipsum retabulum gratuito depingeret.⁵⁶ Altare Sancti Bonifatii principio scilicet in primā cappellā occidentali lateralis capsii meridionalis instrueretur, ubi fenestra Sancti Bonifatii iam inserta erat. Tamen res aliter evēnērunt. Nam quia propter abbatale iubilaeum argenteum Norberti Weber, cum magnus numerus visitorum exspectaretur, ad parietem ecclesiae occidentalem necessario podium quoddam aedificandum erat, locus

53 Heide WEISSHAAR-KIEHM in textibus suis scribit de quercu Wotano dicatā, sed agitur de quercū Donario sive Thor dicatā, qui deus tonitruorum, fecunditatis atque ut custos hominum venerationem acceperat. Wotanus sive Odinus in mytholgiā septentrionali erat deus supremus.

54 Investigatores scientifici tamen dubitant, an hic eventus revera acciderit.

55 Fridericus [*Fritz*] Otto Sauerstein (1893-1968) erat pictor Dresdae natus et inde ab anno 1922^o Dresdae vixit ut artifex libere operans. Inter annos 1933^{um} et 1942^{um} erat professor delinationis anatomicae in Dresdensi Academia artium et postea ibidem etiam director negotia gestans. Secundo bello mundano finito in Bavariā vixit.

56 Haec apparent ex epistulā Friderici Sauerstein die 26 m. Febr. a. 1929 scriptā (ASO, A.14.4.1). Haec epistula verisimiliter ad P. rem Laurentium Kilger directa erat, sicuti etiam epistula insequens de hōc themate ad Archiabbatiam missa, cui tamen dies adscriptus non est.

cappellae ad podii scalas exstruendas desiderabatur. Cappella Sancti Bonifatii itaque ad latus ex adverso situm transferretur, id est ad primam cappellam occidentalem lateris capsi septentrionalis.⁵⁷ Fridericus Sauerstein iam multos labores praevious effecerat et praeterea sumptuum prae computationes laborum, quos ipse facere non valuit, acquisiverat, sed deinde vestigium huius incepti amittitur, quod manifesto - ex quibuscumque causis - ad effectum definitivum non est adductum.⁵⁸

Nihilominus aliud Sancti Bonifatii altare exortum est, quod mense Decembri anni 1931ⁱ in cappellā ipsi iam destinatā constitutum est.⁵⁹ Hunc in modum cappella Sancti Antonii, quae usque ad illud tempus ibi sita erat, demota sive sublata est.⁶⁰ Retabulum, quod artifex Austrius Aloisius [*Aloys*] Wach⁶¹ pinxerat, principem Germanum monstrat, qui a Sancto Bonifatio baptizatur. Haec imago principio destinata erat Ottiliensi domui Monachensi, sed ibidem instructioni generali non satis bene convēnisse videtur. Itaque imago ad Archiabbatiam translata est, ubi propter argumentum picturae bene in Sancti

57 Hanc condicionem Fridericus Sauerstein in epistolā suā die 29 m. Febr. a. 1929 (ASO, A.14.4.1) commemorat. Inde apparet consilia altaris Sancti Bonifatii efficiendi iam ante annum 1928^{um}, id est annum iubilaei, incohata esse.

58 Praeter illas duas epistulas iam commemoratas atque tres prae computationes sumptuum ab opificinis Dresdensibus propositas in archivo Ottiliensi de hac re nihil invenitur. Itaque de causis, cur hōc inceptum in irritum ceciderit, nihil comperimus.

59 De Sancti Bonifatii altari anni 1931ⁱ *cfr* Chron. Ottil., m. Aug.-Dec. a. 1931; Leander BOPP (1952), pp. 40 sq. (ASO, D II); Maria HILDEBRANDT (2008), p. 230. - Brevis commemoratio in Ann. Ottil. 4, 25.12.1931, p. 196 (ASO, A.3.4.4); Heide WEISSHAAR-KIEHM: Inventar (1995-1998), IKap5, p. 1 (ASO, A.14.4.11.1) in conexū transitūs ad novum aedificium ecclesiae dilatandae.

60 Cappellam Sancti Bonifatii loco cappellae Sancti Antonii instructam fuisse breviter indicant Chron. Ottil., m. Aug.-Dec. a. 1931; Maria HILDEBRANDT (2008), p. 230. Mirum tamen est hanc cappellam Sancti Antonii omnino in oblivionem cecidisse videri. Etiam photographēmata illius cappellae eiusdemque altaris existere non videntur. In aliquo libro aedificatorio, cuius titulus est «Kirchenbau: Einnahmen / Ausgaben 1897-1907» (ASO, A.14.4.1), exstat brevissima relatio ad annum 1902^{um} spectans, quā duae minimae summae pecuniariae pro illō altari indicantur. Idem itaque inde ab illo anno praecogitatum fuisse videtur.

61 Aloisius [*Aloys*] Wach (1892-1940) erat Austrius pictor atque artifex graphices exarans, cuius imagines imprimis pingendi genere expressionistico factae erant. Tempore national-socialistico eius opera inde ab anno 1937^o ad «artem depravatam» sic dictam adnumerabantur. - Leander BOPP (1952), p. 40 (ASO, D II) per errorem eum appellat Alois Wachinger, Maria HILDEBRANDT (2008), p. 230 eum nominat Alois Walch.



*Altare Sancti Bonifatii
(vetus photographēma).*



*Retabulum
(photographēmata recentissima).*



et mensa altaris Sancti Bonifatii

Bonifatii cappellam praedispositam inseri potuit.⁶² Substructionem altaris P. Laurentius Kilger et Fr. Bertrandus Morgenroth excogitaverunt.⁶³ Ornata erat illa altaris mensa viginti insignibus talium monasteriorum et sedum episcopaliū, quae quasve Sanctus Bonifatius condiderat vel denuo ordinaverat. Conformationem autem artificiosam illius altaris contemporanei - ut apparet - diversimode diiudicaverant.⁶⁴

Postquam interna ecclesiae ornatio fuse descripta est, eius pars exterior breviter aspicienda est. Nam circiter viginti quinque annis post ecclesiae aedificium exterius confectum damna gravia, praesertim in ecclesiae turri, animadvertenda erant. Itaque restauratio urgeret necessaria erat, quae anno 1926°

62 Cappella Sancti Bonifatii illo tempore, quo ecclesia transmutata est (1992-1995) amota est, cum eodem locō novus introitus ad ecclesiam poneretur. Retabulum nunc temporis in scalario aedificii monasterialis Sancti Andreae suspensum est, mensa altaris invenitur in oeco artificiorum sic dicto. (Indicia et photographēmata F.ris Davidis Gantner OSB).

63 Cfr Leander BOPP (1952), p. 40 (ASO, D II).

64 Chronista (Chron. Ottl., m. Aug.-Dec. a. 1931) scribit: «*Non omnes spectatores pulchritudines artificiosas huius imaginis percipere atque intellegere valent.*» - Hanc sententiam ex chronicis depromptam etiam affert Leander BOPP (1952), p. 41 (ASO, D II), qui quōque retabulum non magni aestimare valuit. - Nihilominus etiam altaris mensa aspectum non vere pulchrum praebet, sed potius praeconiorum tabula multiplex esse videtur.

incohata est.⁶⁵ Prima perceptio erat in eo, quod pluribus tegulis vitiosis aqua pluvia nivalisque in interiora turris penetraverat et quod sic tignationi quōque detrimentum magnum erat illatum. Itaque consilium captum est omnes tegulas turris amovere et eandem laminis cuprinis tegere.

Postquam autem turris pegmata aedificatoria instructa sunt,⁶⁶ inspectione subtiliore factā, quam duo architecti Monacenses exhibuerant, apparuit muros quōque interea valde affectos esse.⁶⁷ Igitur consilium amplius captum est: omnes muri turris octogoni occidentales, tympana fastigii atque pilae usque ad fundamentum cloccarii diruerentur atque novis melioribus lateribus denuo aedificarentur.⁶⁸ Hōc eo magis necessarium erat, quod periti propter damna atque magnum effectum ventorum, cui turris expositus erat, nullo modo praestare voverunt turrin in futurum firmiter in loco mansuram esse.



Turris ecclesiae in statu reficiendi.

Haec opera restorationis erant labores difficiles periculosique et eadem conficere erat actio magnifica. Die 20^o m. Sept. a. 1926^o labores incohabantur fastigiis pilisque demoliendis. Per aliquod spatium temporis magnae lacunae in muris hiabant et gravis galea turris, cui erat altitudo undetriginta metrorum, difficilibus laboribus fulciendi firmanda erat. In fine mensis Octobris anni 1926ⁱ lacunae demum iterum clausae erant. In initio mensis Novembris anni 1926ⁱ denique labores quōque in tecto turris finiri potuerunt.⁶⁹

65 De restauratione turris *cfr* Chron. Ottil., Apr.-Jun. 1926; Chron. Ottil., m. Oct.-Dec. a. 1926; Leander BOPP (1952), pp. 41 sq. (ASO, D II); Maria HILDEBRANDT (2008), p. 228. - Breviter restaurationem turris commemorat Heide WEISSHAAR-KIEHM: Inventar (1995-1998), uzb, p. 11 (ASO, A.14.4.11.1), sed sine indicio exacto anni.

66 Illis pegmatis erant septem tabulata, quae scalis inter se coniuncta erant. Ultimum tabulatum in altitudine sexaginta trium metrorum erat. - *Cfr* Chron. Ottil., m. Apr.-Jun. a. 1926.

67 Utrum damna murorum effecta essent poppter mancā arenationem an propter tegulas male coctas, pro certo reperiri non potuit. Fortasse utrumque erat in causa.

68 *Cfr* Chron. Ottil., m. Oct.-Dec. a. 1926.

69 Problema, quod spectabat ad tectum turris, tamen nondum definitive erat solutum, uti ex adnotatione in Chron. Ottil., m. Apr.- diem 15 m. Iun. a. 1930 apparet. Nam uti paulo postquam labores confecti erant, manifestabatur, laminae cuprinae, quas P. Ludgerus

Aestate atque autumnno anni 1927ⁱ praeterea tectum ecclesiae renovari coeptum est.⁷⁰ Nam etiam ibīdem propter tegulas non aptas éadem damna exorta erant ac in turri. Itaque illis locis tignatio putrefacta erat mutanda, antequam paene totum tectum ecclesiae novis tegulis iterum tegebatur. Uterque autem ecclesiae capsus lateralis non tegulis, sed laminis cuprinis tegebatur. Insuper necessarium erat, ut fastigium septentrionale capsī transversī novis lateribus denuo obtegeretur.

SIGRIDES ALBERT

[VOX LATINA 233, 2023, pp. 323-344]

Breindl emerat, qualitatī malae erant. P. Aloisius Seibert, qui cellararius tunc de praebitione mercium curare debuit, eā de causā materias accipiendas recusaverat. Sed superior pars tecti turris iam hac materiā mancā erat tecta. Post spatium temporis paulo plus quam unum annum ibīdem iam rimae fissuraeque apparebant. Officina autem, quae materias praebuerat, non iam ad pecuniam solutam reficiendam coegi potuit, quia interea decoctionem subierat. Tamen cogitandum erat laminas cuprinas mancas mox restitutum iri. Scitū dignum est adnotatio chronistae: *«Est monitio seria, qua non licet falso loco pecuniae parcere et in rebus emendis libenter ab experto rei perito consilia accipere.»*

70 Cfr Chron. Ottil., m. Iun.-Dec. a. 1927; Leander BOPP (1952), p. 42 (ASO, D II).